



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XLVII. Iephtes filiam sacrificat. &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

to suscitaret. Cùm verò Boozo, & possessio agro-  
rum Elimelechi, & Ruthæ matrimonium legitimè  
cederetur; publica contestatione & congratulatio-  
ne omnium contractæ sunt nuptiæ; quarum nobi-  
lissimus fructus annò post extitit, natus filius, no-  
mine *Obedus* ex Obedo prognatus *Iesse*, ex hoc *David*:  
ex Davide, per Successionem Progenitorum,  
CHRISTUS JESUS, MESSIAS, perditæque sa-  
lutis REPARATOR. Sic paupertas non bonas  
tantùm artes, sed seculòrum omnium felicitatem  
extudit.

NARRATIO XLVII.

IEPHTES HEBRÆO-  
RUM PRAETOR IX.  
UNIGENAM FILIAM SA-  
CRIFICAT.

Judic. cap. 11 Anno Mundi 2850. Ante  
Christum 1203.

Contrita sæpius bellorum calamitatibus Heb-  
ræorum idololatria, identidem vitiosa de  
radice, velut herba mala repullulavit. Cùm  
DEUS extenderet manum, facienda promittebant:  
cùm suspenderet gladium, promissa non solvebant.  
Irerum igitur Ammonitarum armis vicenniò totò  
oppressi, ultima quæque expectabant. Ubique  
luctus & clamor, DEum in auxilium, rebus afflic-  
tissimis, vocantium. Certamen videbatur suscep-  
tum, nunc Justitiam Numinis detestandis defecti-  
oni-

onibus provocando : nunc Clementiam , coactis  
tot calamitatum tempestate lacrimis , sollicitando.  
Supplices igitur prostrati humi coram Fœderis Ar-  
ca, exterminatis idolis *Baalis* ( seu Jovis Beli ) & *Astartes*  
( seu Astartes sive Veneris ) non ante desistunt  
pulsare cœlum precibus, quàm misericordiam ever-  
berarent , toties *Consistentes Rei*.

Reconciliatō per supplicia Numine, captum est  
humanis de auxilijs consultari. Deliberantibus i-  
gitur de strenuo belli Duce, nemo omnium visus  
est potior *Jephthâ* , Galaadite , è tribu *Gad* , quem  
fratres , quòd è Concubina susceptus esset , hære-  
ditate paterna , domoque depulerunt. Eum ta-  
men virtus reddidit illustrem , & frequentes de  
*Ammonitis* & *Philisthæis* relatæ prædæ, quos cum  
armata militum , eandem Fortunam sequentium  
manu acriter infestabat. Is ergò cum crebris jam  
antè velitationibus incurfantes *Ammonitarum* la-  
trunculos ita compefcuisset, majoribus ut copijs, &  
auctoritate videretur muniendus, summæ, rei mi-  
litaris præficitur. Cùm verò nollet nisi vim vi-  
pulsurus ad arma venire , missis ad hostes lagatis,  
sperabat litem , quæ *Ammonitas* inter & *Galaadi-  
tas* ob confinia intercedebat , sine sanguine compo-  
ni posse. At illis mitiora spernentibus consilia, su-  
umque jus in ferro ferentibus , *Jephthes* pro Bono  
publico, patriæque libertate , justas in iras surgit.  
animos addente non tam insita alacritate , quàm al-  
tiore, de cœlo , virtute. Ante alios *Hebræorum*,  
*Galaaditas*, populares suos, ad arma vocat ; quo-  
rum cùm validam contraxisset manum , bellum  
translaturus in hosticum , movet in *Ammonitidem* ;

concepto prius voto, se, si victoriâ contingeret po-  
 tri, hostiam DEO mactaturum, quod animalium  
 victori sibi, lares domesticos repetenti, primum oc-  
 currisset. O mentes hominum futuri improvidas!  
 eicit, cum volet, sapientiùs optâsse, & vovisse Jeph-  
 res. Itur in hostem, pugnatur acerrimè, funditur,  
 fugaturque Ammonitarum exercitus, manubiæ ho-  
 stiles, & urbes complures capiuntur; jacent ingen-  
 ti postrati clade, & jam de dominatu desperant suo,  
 qui libertatem perditum ibant alienam.

Lauros Victori & libertatis Vindici, gratulanti-  
 um voces ubique personant. Patria se Patri suo  
 effundit in occursum; jo triumphè! debellatori ho-  
 stium occinitur; in plausum victoriæ sexus omnis &  
 ætas venit. Dux ipse Jephthes jactata per ora po-  
 puli vota, gratus DEO, tanti gaudij Datori remit-  
 tit. Iamque triumphali pompâ in urbem *Maspham*  
 invehebatur; cum ecce; ô triste spectaculum tecta  
 subituro parenti, obviam se primò omnium fert fi-  
 lia, in qua virtutes cum forma certabant, spes una,  
 & lux familiæ; dux ipsa virginei chori, festo tym-  
 panorum sonitu, Patri, Libertatis Hebrææ Asser-  
 tori victoriam gratulatur; Dianam dices inter co-  
 mites, velut Lunam inter sidera minora gradien-  
 tem:

natat ignis in ore

Purpureus, fulvòque nitet coma gratior auro.

Ad occursum tam insperatû quò se verteret afflictis-  
 simus genitor? utrius magis pœniteret illum, vic-  
 toriæ, an voti? triumphus abit in luctum; epinici-  
 um in nœniam. Attonitus primùm crudelitatem  
 voti sui damnabat; exin revocatô in mentem Ab-

N 5

rahæ

rahæ filium immolantis exemplò , in ejus imitati-  
onem æstuabat ; rursus impiam pietatem abhorre-  
bat ; mox , quid DEO deberet , recurrebat ; sed re-  
clamabat natura. Ita secum ipse luctans , & altos  
pectore gemitus premens , tandem collecto forti-  
us spiritu ; Vicinus , inquit , vicinus filia , sed tuo  
sanguine , & cum dicto , vestem in geminas scindit  
partes. Nec moratus , niceteria canenti , funus in-  
dicit : nuncupati religionem voti exponit , non alio  
unicæ nisi filia Capite exsolvendam. Hic puella  
nescio , promptior an obsequiò , an durior imperio  
pater ; contra nihil obtendere , nihil errori voven-  
tis opponere , nihil deprecari. Hoc unum petere  
lessum ut liceat prævertere ; indulgeret parens bi-  
mestre non ampliùs spatium , quo juga montium  
cum Sodalium choris obeundo , & suæ virginitati  
sine prole morturae , & parentis orbitati , hærede  
carituri , vivo funere parentaret. Obtinuit , quod  
rogabat ; neque enim decebat , statim , quasi amen-  
tem in arenam descendere , in gladium ruere , in  
flammas insilire ; sed temporis & judicij maturitate  
in scenam tam insolitæ tragoediæ prodire.

Interea dum in luctu duo menses abeunt motus  
Ephraimitarum , unius è duodenis Hebræorum tri-  
bubus , intervenit ; nimia gloriæ cupiditas , & rerum  
à *Galaaditis* gestarum invidia stimulabat animos , ut  
superbè expostularent cum Jephthe , quòd ad belli  
Societatem vocati non essent. Cujus mollibus re-  
sponsis cum convitia & atroces minas illi reponerent ,  
res ad manus venit. Victi sunt *Ephraimitæ* ,  
qui transito Iordane bellum ultro intulerant. In  
fuga repetentes eadem littora , ignoratio tesseræ  
mili-

militaris prodidit, & perdidit; à Galaaditis quippe intercepti, se se *Ephrataeos* metu mortis negabant. Unica Syllaba fraudem aperuit; *Scibboleth* (Latinis *Spicam*) aspiratè pronuntiare nequibant; sed blâsa voce *Sibboleth* dicebant; quare mox apprehensi, jugulati, inque profluentem abjecti, mentis elatæ, & intemperantis linguæ pœnas dederunt, cæsis non minus quadraginta duobus hominum millibus.

Cæterum elapsò, quod dixi, temporis spatiò, Jephthas (quam *Scilam* vocatam ajunt) pari fortitudine, quâ nuntium subeundæ mortis acceperat, è montibus ad urbem revertitur, ad patrem filia, ad aram victima; quam nec fletus æqualium movit, nec dolor inflexit, nec gemitus retardavit, nec fellit hora. Procumbit in genua, devota Numini hostia, vultuque in hilarem mortem composito, dat accipitque supremum à patre osculum, nudat virgineum collum, præbet cervicem interrita, excipit ferrum in pietate crudele. Decusso vertice, saliens è vulnere sanguis stridet, facundus sine lingua testis & orator, quousque se exporrigat obsequium patri, patriæ, DEO debitum. Inde corpus exanime, recompositum cum capite, collocatur in rogo, ad id exstructo, & in holocaustum concrematur, cinere in urnam illato. Exinde mos inolevit, ut puellæ Galaadinæ non tam tristissimi funeris, quàm præclarissimi facinoris memoriam quotannis iterarent, lugubres nœnias, & carmem exequiale quadriduò canentes, mixtis plantui encomijs Jephthiadis immolata. Sunt, qui votum hoc Jephthæ, factumque, impietatis & crudelitatis damnant. Sunt, qui præposteram viri mili-

mili-

militaris religionem , ob ignorantiam absolvant.  
Sunt denique , qui laudibus efferant Sacrificium,  
à DEO inspiratum , in prototypon illius , qui olim  
non pro aliquo terræ angulo, qualis Palestina fuit,  
sed pro totius salute Mundi , vitam erat , sangui-  
nemque daturus. Certè potuit Jephthæ obijci illud.  
Turpe est in re militari dicere : NON PUTARAM.  
Et Fortuna ( imò DEUS ) plerumque eos , quos  
pluribus beneficijs ornavit , ad duriorè casum refer-  
vat.

NARRATIO XLVIII.  
SAMSONIS DECIMI  
TERTII HEBRÆORUM  
JUDICIS SEU PRÆTORIS,  
MIRA FACINORA.

**S**Amson ad profligandos Philisthæos natus ,  
tatis anno vicesimo , in fortitudinis rudimen-  
tum , leonem inermis discerpfit ; ac postea , ali-  
ni maxillâ , quasi Herucles clavâ , mille hostes  
maçtavit : Gaze obsessus , portas urbis non modò  
repagulis emovit , sed & humeris , quasi victoriæ  
ferculum detulit. At vir tantus impingens in sco-  
pulum , amatâ Dalilâ , prostituti corporis fæminâ,  
( adeò difficilius est continentem esse , quàm for-  
tem ) atque arcanò , de crine , detectò , captus ,  
illusus , excæcatus à Philisthæis , in pistrinum vi-  
lissimi bruti instar adactus , pænas amoris impuri  
dependit. Morte tandem suas , divinasque ultus  
injuri-